

12 b.

DE
PRIMIS
POLONORVM
NUMMIS ARGENTEIS,
Sive
GROSSIS PRAGENSIBVS,



EXERCITATIO POSTERIOR,

PRÆSIDE

M. GEORGIO WENDIO, WRAT.

A. D.

JVNII, A. M. DCCII. H. L. Q. S.

AD DISPUTANDVM PROPOSITA

A SAMVELE KEPHALIDE, NEOSOLIENSI VNGARO,

DVBITANDI PROVINCIAM SVSTINENTIBVS:

JOHANNE WOLFIO, CORONA - TRANSYLVANO,

ADAMO FRID. SCHROETERO, LANDSPERG. MARCHICO,

& JOHANNE GEORGIO Willebrand/ STOLP. POMERANO.

THORVNII, EX OFFICINA NOBILISS. SENATVS
ET GYMNASII

12 b.

E. XXXII 335

xxi 162.

XIX 229

OR.
argenteis.

mali.



benas tractaret,
idem. Stranškio
Argentum primus
Argentei majo-
misli, ex altera
no 725. & 1040.
tis, columque ad
dere Przemislao,
temporum Princi-
psque ad tempora
fuit. Hucusque
um in Bohemia
cie S. Wenceslai
r. Seculo post
sma, quod (uti
priori latere ahe-
latum; in poste-
slai, exhibuit.
alem ante eum
is conveniente,
t in hujus priori
SECUNDVS.
nem salientem,
oratum, signari
Ordine igitur
iei.

V M

212

213

E

ERIOR

WRA

214

215

216

217

218

EXERCITATIO POSTERIOR.

De Primis Polonorum Nummis argenteis.

CAPUT TERTIUM,

De Causa Grossorum Pragensium Formali.

§. I.

ANtequam Wenceslaus II. Regni Bohemici habenas tractaret, varii quidem generis Nummi signati fuerunt ibidem. Stranskio l. 18. de Rep. Bohem. p. 538. seq. autore, Argentum primus Przemislus, aurum Libussa princeps, formavit. Argentei majores utrinque Przemisli solius; minores una ex parte Przemisli, ex altera Libussa in sella sedentis, imaginem referebant. Hagec. de anno 725. & 1040. Aureus Libussa nummus utrinque Libussa ipsius, in sella sedentis, columque ad manus habentis, imagine notabatur. Et hac Nummi, pondere Przemislao, fundendi cudendique ratio atque Lex constanter à posteriorum temporum Principibus cunctis usque ad aetatem Boleslai savi, ex eo rursus usque ad tempora Wenceslai II. R. Bob. eadem bonitate pondereque servata fuit. Hucusque Stranskius. Boleslaus dein saevus, (ut est apud Pontanum in Bohemia pia p. 15.) Monetam ex auro fieri fecit, in cujus antica facie S. Wenceslai fratris, in postica ipsius Boleslai, vultus representari credebatur. Seculo post XI. Bracislaus sive Bretislaus Dux argenteum emisit Numisma, quod (uti in peculiari Disp. ante quadriennium elucidavimus,) in priori latere ahenum, Boleslao fratricida olim ab Ottone I. Casare in pœnam datum; in posteriori pendulum è caelo brachium, cum Inscriptione S. Wenceslai, exhibuit. Qualem vero formam & typum Wenceslaus II. elegit, talem ante eum nemo procuravit. Ut enim de Modulo, Przemislianis Nummis conveniente, nihil jam moveamus; Ipse primus in Bohemia Grossum, & in hujus prioris parte Coronam cum Inscriptione: WENCESLAVS. SECVNDVS. DEI. GRATIA. REX. BOEMIE. in posteriori Leonem salientem, caput corona redimitum, & ceteroquin cauda bifurcata notatum, signari jussit, addita Inscriptione: GROSSI. PRAGENSES. Ordine igitur persequamur hæc symbola, & primitus quidem prioris faciei.

§. II.

Coronarum usus non simul cum quarta Monarchia cœpit. Priores Imperatores Cæsares, *laurea* solummodo contenti, non, nisi in memoriam singularis cujusdam & eximii eventus, aut inter Divos jam relati, (e. g. *Jul. Cæsar, Augustus & Aurelius,*) tali diademate utebantur: Posteriorum vero Augustorum Nummi (observante Oiselio in *Thesauro Numism. Class. 1. p. 46.*) caput ut plurimum *Corona*, & quidem *radiata*, cinctum sistent. Ut ut enim tale Ornamentum peculiare *deorum* Insigne, præsertim *SOLIS*, ab iisdem haberetur, Decius tamen, Claudius & horum exemplo alii, *radiatam*, (qualis & Gordiani in ære depicta est,) coronam sibi applicare nulli dubitarunt. Qvò magis Romanorum potentia decrevit, eò magis Insolentia succrevit. Atat ab hac Arrogantia multum alieni Christiani nostri Reges, adeo quidem Gentilium sive superstitionem, sive luxuriam, in hoc Ornatu imitari non voluerunt, ut potius aliam *Corona* concinnandæ ideam determinaverint. Ideo quod CHRISTO potius aut Sanctis, sanctitatis contestandæ gratia, ejuscemodi radii deberentur, *liliformem* communiter aut *trifoliformem*, qualis & hæc antiqva Bohemica est, ex nobiliori metallo consilari, sibi que in solenniori Inaugurationis actu bono omine imponi permiserunt. Hœping. c. 2. de Jure Insign. n. 712. seqq. p. 130. Ciampinus in *Vetust. Monument. c. 14.*

§. III.

Inter *Coronam* alioquin *regiam* & *Circulum* aureum discrimen aliquale est. *Corona* Regum propria est; *Circulus* aureus maximis tantum Ducibus, qui aut pares Regibus, aut certe non multo inferiores erant, concessus fuit, quem etiam illi frequenter inter sacra, Ducalis Mitræ loco, deferebant, aut in Templo majoribus per annum solennitatibus à Præsulibus (pro more istorum temporum) imponi sibi patiebantur. E. G. Posterioris usum Wladislao, Bohemiæ Duci, anno 1159. à Friderico I. Imp. indultum fuisse, testis est Bulla Caroli IV. Imp. qua inter alia fateatur, illum, antequam ipsum ad regnum Bohemiæ coronari contingeret, gestando *Circulo decoratum fuisse. &c.* *Coronam* vero ac nomen *regium* Wladislaus iste consequutus non est, nisi anno 1162. idque in præmium navatæ militaris operæ. Vid. Balbin. libr. 3. Epit. Rer. Bohem. c. 10. p. 235. seq. & c. 14. p. 260. seqq. ubi distinctionem istam contra Hagecium, Sandellium, alios, ex professo tractat. Qvin tamen figura hæc nostra *Coronam*

veram referat, dubium nullum est. Numisma à Rege cusum est. quorsum ergo *Circulus Ducalis*? A Gerardo, Moguntino; & Burchardo, Magdeburgensi, Archiepiscopis, tanta gloria coronatus fuit *Wenceslaus II.* ut nihil illustrius ad eam diem Praga viderit. Unde jam *Circulus*, qui solummodo à Pragensi atque Olomucensi Episcopis certis diebus imponi solebat? Balbin. l. c. p. 261. NB.

§. IV.

A quonam porro Bohemiæ Duces *Coronam* istam & simul jus gestandi eam acceperint, notatu omnino dignum est. Iteratis nempe vicibus, non semel duntaxat, (uti alibi factum,) coronati fuerunt à Cæsaribus. Prima *Wratislao* Justo A. 1084. in Comitibus Moguntinis (Æn. Sylvius c. 22. Hist. Boh. scribit A. 1086. Miechov. l. 3. Chron. Pol. c. 4. A. 1087.) ob egregiam adversus Rudolphum, Suevum Ducem, navatam operam, (vel, ut Æn. Sylvius vult, ob debellatum Leopoldum, Austriæ Marchionem,) ab Henrico IV. Imp. Media *Vladislao I.* A. 1162. in Curia Tholensi, ob probatam in expeditione Mediolanensi animi fortitudinem, (†) à Friderico Barbarossa Imp. Ultima *Przemyslao*, cognomine Victo-

A 3

tioso,

[NB. Cosmas quidem Pragensis p. 13. Chron. Bohem. utitur termino *Circuli regalis* in describenda *WRATISLAI* exaltatione, inquit: *Henricus Ducem Boemorum, Wratislauum, tam Boëmia, quam Polonia, præfecit, & imponens capiti ejus manu sua regalem circulum, iussit Archiepiscopum Treviriensem, Egilbertum, ut cum in sede sua metropoli Praga in Regem ungeret & diadema capiti ejus imponat: attamen circumstantiæ textus evincunt, Cosmam habuisse Circulum regalem & Coronam sive Diadema pro synonymis. Nam Regia Dignitas, ab Imperatore collata, sacra inaugurantis Archiepiscopi manu publicata saltem atque divinæ benedictioni commendata fuit. Imperatoris fuit, declarare; Archiepiscopi, inungere Regem. Id quod clare exprimit Æn. Sylvius, quando cap. 22. Hist. Bohem. p. 133. seq. ita scriptum reliquit: Apud Moguntiam in concilio Principum ab Imp. Henrico, ejus nominis IV. Wratislauus Rex declaratur: — Gilbertus, Trevirovum Archiepiscopus, cum eo Pragam missus, qui coram Provincialibus Regem inungat, regalibusque adornet insignibus.*

(†) Meritum hujus Regis clare describit Radevicus l. 1. de Gestis Friderici I. Imp. c. 13. p. 484. seq. In eadem Curia (Ratisponensi) *Dux Bohemorum, Labezlauus*, Vir ingenio validus, viribus præpollens, consilio, manu audaciæque magnus, cujus antehac industrie, obsequii multa præcesserant experimenta, maximeque nuper in expeditione Polonica (Mediolanensi) magna Virtus claverat; adeo ut ob merita sua omnibus charus esset, ab Imperatore ac Imperii Primis ex Duce Rex creatur anno ab Incarnatione Domini M. C. LVIII. Suscepto Privilegio de usu Diadematis aliisque Regni insignibus, latius revertitur &c.

rioso, (*) A. 1199. in Comitibus Moguntinis ab Imp. Philippo, una cum variis juribus, prærogativis & ditionibus collata ac confirmata fuit. Ob quam causam vero Wratislavi juxta ac Vladislavi filii nepotesque Coronam & Regium Titulum, Patribus collatum, aliorum Regum exemplo, neutiquam usurpaverint, verum Interregno potius locum fecerint, haut una Politicorum est sententia. Goldastus l. 6. de Regno Boh. c. 10. opinatur, per modestiam quandam eos regiae dignitatis titulo abstinuisse vel abstinuisse ideo, 1.) quod vi magis, quam jure, imperaverint, 2.) quod Cæsaris Romani indultam sumendæ Coronæ more majorum obtinere non valuerint, 3.) quod regio sumtus Camera Bohemica sustinere non potuerit. &c. Dubravius ex adverso, Stranskus, & cum iis Balbinus l. c. p. 23 i. evincunt, idè interruptum aliquoties Nomen fuisse Regium, 1.) quod id homini potius, quam universæ posteritati & Regno, collatum videri poterat; 2.) quod Principes arbitrantur, *onerofum sibi esse hoc beneficium*, per quod Germaniæ obnoxii fieri & subjici viderentur. Et hæc sententia, quia auctoritati Principum, per Historiam corroboratæ, convenientior esse videtur, præ priori applausum meretur. Ex quo tamen Przemyslaus supra laudatus axioma istud regium de novo obtinuit, nemo successorum fluctuavit amplius, verum Coronam ab Antecessore acceptam ad posteros iusta serie transmittere sustinuit. Atque in testimonium hujus rei, sive quod memoria collatæ Proavo Coronæ non ingrata sit, vel in *Grosso* hoc novo Wenceslaus II. pronepos gratum ejusdem signum delineare, adeoque Romano Cæsari grate ob oculos sistere voluit.

§. V.

Sed neque silentio prætereundum est *Privilegium*, Wenceslao nostro, ejusque in Bohemia successoribus, circa hanc Coronam ab Imp. Alberto datum. Quia nimirum prorsus singulare hoc, alibi que rarissime legitur, dignum omnino videtur, quod in gratiam curiosi Lectoris maximam partem hic transcribatur. Ita vero Albertus: (apud Pessinam de Czechorod in Marte Moravo libr. 3. c. 7. p. 390.) Licet illustres Reges Bohemiæ, dum per Reges vel Imperatores Rom. eos ad solennitatem eorum in

(*) Incertus Autor Fragment. Histor. p. 86. superaddit, etiam Reginam coronatam fuisse, his verbis: *Philippus Rex Ottocarum Ducem Bohemiæ Regem fecit, datus sibi & UXORI sue Ceryni.*

in Curiam venire contingit, prædictis, Rege vel Imperatore, Coronam regalem gestantibus, cum eisdem & eis præsentibus Corona regia uti possint; non tamen in Corona regia tenentur ministrare in Officio Pincernatus. Et mox: Quod autem Magnus Wenceslaus, Rex Bohemiæ, Princeps & Frater noster charissimus, nobis apud Norimbergam, in solenni Curia nostra, proximo die post festum S. Martini sedentibus in Corona, coronatus ad preces nostras ministravit in Officio Pincernatus, hoc non de jure, sed de mera dilectione, quam ad nostram gerit personam, eum fecisse dicimus: & deinceps ad ministrandum in eodem Officio sub Corona Regia, nobis vel successoribus nostris, ipsum & successores ejus Reges Bohemos non teneri testamur & volumus hoc Decreto &c. Dat. Norimberg. An. 1298. 15. Cal. Dec. Conferatur Balbinus l. c. libr. 3. c. 16. p. 301.

§. VI.

Quare demum Wenceslaus in Circulo extremo non æqvè Polonia, ac Bohemiæ, Regem se indigitari in mandatis dederit, superius in Exercit. priori §. 7. jam explicuimus. In præsens præcavere solummodo voluimus, ne quis suspicetur, factum id fuisse eo fine, 1.) quasi Poloniæ Duces jus illud, resumendi Regium titulum, à Pontifice Rom. olim ipsis interdictum, nondum receperint, aut 2.) quasi Wenceslaus II. antecessorem suum, Vladislaum Lothicum, qui non Regem, sed hæredem Regni Polonici, se vocavit, quodammodo imitari voluerit. Regerimus enim ad I. Poloniæ Duces utique jus resumendi Titulum Regium à Pontifice Rom. non recepisse, attamen nec quævisse illud aut quærendi causam habuisse. Sublato quin potius impedimento, propter quod nemo illorum Regiæ Dignitati dignè satis sustinendæ par amplius fuerat, h. e. Distractione Regni in diversos Principatus, Primislaus, nullo vel concessu, vel venia Rom. Pontificis (Reipublicæ tamen consensu) accedente, Dignitatem pristinam de novo repetit, & in hanc usque ætatem ad posteros transmisit. Dn. Becmanus Part. 2. Histor. Orb. Terrar. c. 8. p. 679. Ad II. & 1.) Exemplum Vladislai Lothici huc non quadrat. Wenceslaus nempe penitus omisit, ille vero aliquantum saltim mutavit, Titulum. 2.) hoc ipso, quod Vladislaus Regni Polonici hæredem se nuncupavit, non negavit, Poloniam Regnum, adeoque & Regem se esse, verum Titulum modo (incertum, quæ de causa,) ad tempus declinavit, & postea circa An. 1305. post

post Wenceslai II. fata, Reipublicæ redditus, eo majori cum applausu sibi appropriavit. Cromer. libr. XI. de Rebus Polon. p. m. 181. & 184. Qvomo- modo ergo Vladislaum imitari potuit Wenceslaus? Jam ad posteriorem faciem.

§. VII.

In antiquissimis Romanorum Numismatibus frequens Elephanti, Crocodili, Tigridis, Equi, Tauri, Cervæ, Capræ, aliorumque quadrupedum occurrit cælatura, *Leonis* propemodum nulla aut rariüscula. *Leonem* gradientem, caudamque vibrantem, (qvo nimirum ante currum triumphalem usus fuerat,) tanquam Insigne Urbis, M. Antonius Triumvir Urbi Lugdunensi in Gallia (& hoc quidem eam ob causam, qvod ipse unà cum sociis, Silano, Lepido & Planco, eam, à Leone Gallicè *Lyons* dictam, condiderat,) dedicavit, ac postmodum quasi solus certo Nummo, cui inscriptum: LVGDVNI A. XL. manifestari curavit. Goltz. de Num. Julii Cæs. p. 177. Oiscl. in Thes. Num. Classe 2. p. 118. Hodie ex ad- verso *Leonis* symbolum tam est commune, ut nullius fere Principis extet Insigne vel etiam metallum, cujus areolæ non aliquo illustri *Leonis* exor- nentur *deïymasi*. *Leo*, quadrupedum Rex, non Regiæ solius, verum & Ducalis, Dignitatis Character hodie est. Qvi enim à Regibus descendunt Principes, Originis suæ eminentiam tali hieroglyphico comprobata ple- rumque reddere satagunt.

§. VIII.

Tum temporis vero, quando Bohemiæ Ducibus *Leonis* Imago collata fuit, rarior adhuc, adeoque & illustrior, ejusdem erat usus. Imperator, cui Reges moderni istud Insigne debent, Fridericus I. est, qvi eò, qvod Vladislaus I. Dux in expeditione adversum tumultuantes Mediolanenses fidem, fortitudinem & prudentiam ipsi probavisset, pro avitis Provinciæ dictæ armis, pro nigra nimirum ac fulminatrice *aquila*, argenteum tenus hac clypeum occupante, candidum nunc *Leonem* in purpureo campo gratiosè substituit, inqviens: ad Te, Vladislæ, hujus corona decus donumque amici Regis jure pertinet. Tu quippe ejus, qua nunc fruor, victoria caput & pes fuisti. Qvin ut perpetuum & virtutis tuæ, & nostri in Te animi extet apud posteros nonnunquam monumentum, patere *aquilam*, regni tui Insigne, nigram sum fulvo permutare Leone. Semper enim *aquila* robur *Leonis* excellit fortitudo.

tudo. Dubrav. l. 12. Hist. Boh. fol. 99. Boregk p. 1. Chron. Boh. fol. 161.
 Miechov. l. 3. Rer. Pol. c. 21. p. 67. Balbin. l. c. l. 3. c. 19. p. 232. Hœ-
 ping. de Insign. Jure c. 6. p. 3. Cl. 8. §. 2. p. 321.

§. IX.

Qværis, undenam *Cauda Leonis bifulca*? In natura nullum reperiri
 animal, monstrosa ejuscemodi appendice deformatum. &c. 1.) In Heral-
 dicis nemini scandalo esse debet, si quando Chimærici aliqui conceptus,
 e. g. cœrulei Leones, rubræ aut bicipites aquilæ, aureæ vulpes, Cen-
 tauri, Minotauri & id genus alii, exhibeantur. Artis enim Scutariæ est,
 fictis, perinde ac naturalibus, figuris intimare, quid gestum aut gerendum
 sit. Speener. Part. I. Oper. Herald. c. 5. 2.) quodsi fabulis relinquen-
 dus est locus, repetendum jam è Piccarti Observat. Hist. Polit. Decad. VI.
 contigisse forte tum temporis, ut Pictor Leonem in vexillo ita pingeret,
 ut caudam intra fœmina sulcaret, quasi prorsus eadem truncus. Bohemos
 id intuentes quæsiuisse: & ubinam cauda? nonne hanc simiæ, turpis bestio-
 læ magis, quam generosi Leonis, imaginem esse? Ideoque Aquilam suam,
 contempto hujusmodi Leone, velut anxios repetiisse. Ubi vero Cæsari id
 manifestatum fuerit, in risum solum dixisse, non difficile fore, huic
 Bohemorum querelæ mederi, jussisseque, ut pictor Leonem non una dun-
 taxat cauda, sed duabus, iisque in altum porrectis, conspicuum, qualem
 Bohemi etiamnum præferunt, depingeret. 3.) Ex Melch. Goldasto l. 3.
 de Regno Boh. c. 14. n. 33. & Limnæo l. 6. de Jure Publ. Imp. Rom. c. 6.
 n. 40. notandum, rem hic agi minimè ridiculam, verum per caudam Leo-
 nis bifurcatam Vladislai Regis Virtutem præcellentiorē, & quod ceteris
 Principibus fortiorē se gesserit, denotari. Conf. Hœping. l. c. p. 321.

§. X.

Qvare demum *Corona* quadam decoratus sistatur iste Leo, non una Auto-
 rum est sententia. Nos, quoniam Camerarius Centur. 2. Symbol. & Emblem.
 100. p. 108. optimè docet, talium animantium coronationi hieroglyphi-
 cum quendam subesse intellectum, cum Publicistis, exclusa omni proli-
 xitate, asserimus, signum eam esse concessæ à Cæsare Libertatis. Quod
 de Florentini Leonis Corona tradit Boëth. l. 10. Histor. Scot. idem suo
 modo ad Bohemici Leonis *Coronam* pertinet; symbolum videlicet eam
 esse

esse, quod Bohemiæ Regnum alieni Juris sit experts. Corona Coronæ non faciliè subjicitur.

§. XI.

GROSSVS dicitur Nummus noster, quasi crassius aut magnus. Ætas nempe posterior nummos crassiores *Grossos* usitatè vocavit: voce quidem latina, sed quæ in alia significatione usi sunt veteres, inquit Hostus l. 1. de Re Num. §. 49. p. 116. Et Vossius l. 3. de Vitiis Serm. Lat. c. 13. p. 459. seq. respectu ad monetam habito, scribit: A magnitudine etiam dimidiæ partis Stuteri, comparando eam cum minutiis pecuniarum, dixerunt Germani *Groß*; uti Itali *grossone*, Hispani *grueso*, Belgæ *Groote* / Angli *Grote*. ac similiter Turocius Chron. Hungar. l. 2. c. 97. marsupia grossorum & florenorum. Sic Grossus Venetus apud B. Odericum Peregrinationis suæ c. 1. §. 4. & c. 2. §. 5. Dicitur porro PRAGENSIS, ad designandam ordinariam Officinam, è qua veteri instituto legitime prodit. Vulgus à congelascendo, ut Stranskio videtur, Zmrzliky eundem, ob albicantem argenti puritatem, vocitavit. Ceterum quoniam *Turonensis Grossus* parili cum *Pragensi* antiquitate certare videtur, non abs re fuerit, heic loci indagare, utrum hic ab illo, an ille ab hoc, denominationem, magnitudinem & pondus sortitus fuerit? Posterius quidem placet illis, qui Balbini arbitrium, l. 3. c. 16. p. 296. detectum, non imbibebunt integrum. Jesuita nempe prodit, Reges & universam Bohemiam gloriari solere *super antiqua* Bohemicorum Nummorum autoritate, attamen cum restrictione loquitur, habito ad *Germania Principes* respectu, qui monetam suam ad Bohemicam conformasse perhibentur: tantum abest, ut universaliter ad omnes, adeoque & ad *Francos*, id pertinere affirmet. Prius rectè promulgat Tileman. Friese / libr. 4. c. 26. des Münz-Spiegels / ita referens: Als nun die Tornosener / sein grob Geld / gegen die Pfennige in Teutschland zu achten / auch angenehm waren / und das Bergwerck in Böhmen umb das Jahr 1350. in vollem Schwange / hat der König von Böhmen / (der in der güldnen Bullen mit der Münz-Gerechtigkeit sonderlich vom Kaiser Carolo IV. belehnt worden /) auch nach Art der Tornosener Groschen schlagen lassen / die in Teutschland hin und wieder gangbar und gemein waren / von gutem Silber &c. sed malè probat Autor. Etenim vel ante annum 1350. (nimirum an. 1303. seqq.) etiam ante argentifodinarum Cuthnensium largiorem affluentiam; etiam ante

ante concessum à Carolo IV. in A. Bulla jus cudendi monetam; Bohemiae Reges, Wenceslaus II. & III. item Johannes I. Gallici moduli formarunt Grossos. Utur igitur circa Chronologiam nonnihil cespitet Frius, verè tamen Gallorum imitatores tradit esse Bohemos.

§. XII.

Inquis: Equidem contrarium sentio. Nam Philippus Pulcher, qui optimos & cumulatissimos hujus farinae Nummos edidit, *primus omnium* Turonensem huncce Grossum à quibusdam confecisse creditur. Ergo Galli modulum à Bohemis habent, non vice versa. Wenceslao II. Philippus aliquanto posterior fuit tempore. R. Non Philippus Pulcher, verum Ludovicus S. tales Turonenses omnium primus conflari curavit. Ecce Grossum ejus, quem le Blanc in *Traite Historique des Monnoyes de France* p. 170. exhibuit! In cujus priori latere nomen LUDOVICI REGIS, in posteriori Inscriptio: CIVIS. TVRONI, sistitur. Jam vero extra omnem controversiam est positum, Ludovicum S. aliquot annis praecessisse Wenceslaum secundum. (Ille anno 1270. Regni sui fasces rursus deposuit; hic A. 1283. in humeros suos recepit.) Propterea extra dubium quoque est, hunc in illo, non vice versa, imitando fuisse occupatum; idque eò magis, quod Wenceslaus more Ludovici S. priorem Inscriptionem gemino circulo includens, in medio Nomen suum, in extimo (ubi Ludovicus symbolum hoc posuerat: BNDICTV. SIT. NOME. DON. NRI. DEL. IEV. XRI.) Titulum suum annotari paraverat.

CAPVT QVARTVM ET VLTIMVM, *De Causa Finali, sive Usu & Eventu Grossorum Prag.*

§. I.

Cum inter *Utilitatem* & *Usu* alicujus rei sit aliquale discrimen, nemo hic priorem à nobis expectabit. Quod enim in genere de Nummis in Politicis asseritur, eos nimirum eo fine inventos esse primitus, ut sint justitiae commutativae convenientia media, sive, ut Aristoteles

Aeteles l. 1. Polit. ait, ut sint communis sponfor pretiumque rerum venalium; idem de Grosso nostro affirmare integrum est. Qualem vero Usus iste in Polonia, in quam sub Wenceslai regimine introductus dicitur, praestiterit, paucis nunc innuemus. Nimirum bonitas ejusdem intrinseca invitavit, ceu alios, (de quibus §. seq.) ita etiam Sarmatas, ut non solum in Contractibus Emptionis & Venditionis quotidianis liberè eodem uterentur, verum & peculiare Tributum, non alio, nisi Bohemico, Grosso pendendum, injungerent, & tandem quoque juxta exemplar Bohemicum Nummum suum formarent. De Tributo Cromeri verba extant libr. 2. de Rep. & Magistrat. Pol. p. m. 97. *Vestigalia Principis aliquanto luculentiora & ampliora olim fuere, quam nunc sunt. Pensitabant enim ei omnes agrestes & adscriptitii quotannis tributum Poradline, quod nos Rastrale dicere possumus, (Regale etiam vocatur,) in jugerum, seu lancum & mansum, ut vulgo vocant, duodenos Grossos & quidem Latos sive Prageneses: qui dimidio eos, qui nunc sunt in usu, grossos vernaculos excedunt: quin si bonitatem & pondus argenti spectes, quadruplo, quemadmodum earum rerum periti affirmant, melior tunc erat grossus, quam nunc est.* Et libr. 13. de Rebus Polon. p. m. 221. *Ludovicus Rex poscebat Polonos vestigal, quod regium & poradline, quasi rastrale, dicitur, duodenos grossos latos, & singulos modios siliginis & avenae in jugera sive laneos, quemadmodum antiquitus pendi solitum erat. &c.* De Nummis vero Polonicis audiat *Neugebauer. l. 1. Hist. Pol. p. 17.* sic scribens: *ante ducentos annos à Casimiro M. es & argentum ad Bohemorum exemplum signari cepit.*

§. II.

Bonitas eadem allexit & Germanos, Silesios, Prussos aliosque, ut dictum Grossum sive anquirent, sive imitarentur. De Germanis ingenue fatetur *Balbinus l. 5. c. 11. p. 575.* Grossos, in Bohemia primum usos, ab Imperii Ordinibus ob commercia receptos fuisse, hodieq; nomen retinere, & Grossos Prageneses vel Bohemicos ab omnibus appellari. Et libr. 3. c. 16 p. 296. *Wenceslaus ex probatissimo argento novam monetam procudi jussit cum totius Germaniae commendatione. hinc illa antiqua Bohemicorum Nummorum auctoritas, qua Reges nostri & universa Bohemia gloriari solebat, ut prope omnes Germaniae Principes ad Bohemicam Monetam conformarent suam, & (quod cuique ex antiquis venditionum & censuum litteris constare potest,) ad Pragensium grossorum valorem aestimarent omnia: qua una laus, justitia & subditorum*

ditorum *amantissimum Principem satis ostendit.* De Ufu eorundem in *Silesia* tradit Fr. Faber in Chron. MS. ex Archivis Wratislaviensibus extracto, sequentia: A. 1310. haben Bernhardus, Henricus und Bolco, Herhoge zur Schweidnitz/ Gauer/ und aufm Fürstenberg/ der Stadt Breslau verkaufft umb 150. Mark Regalium Denariorum (hoc nomine t. t. insigniebantur Grossi Prag.) drey Fußzoll zur Warte/ und zu Cunhendorff bey Lemberg/ und in der Stadt Bunkslau. M. 8. In Prussia Mag. Henricum Dufner Anno præter propter 1346. i. e. Caroli IV. Regis Bohem. tempore, emisisse Nummum argenteum, qui exactè Bohemicum referret, testis est Grunau Tr. 12. c. 14. fol. 226. Secundum B. Hartknochium (in Chron. Pruss. p. 526.) in antica Crux Ordinis Crucigerorum, passim liliis condecorata, & hanc Inscriptionem gerens: Henricus III. Ma. Gen. Do. Te. in postica Supremi Magistri domestica simul & dicti Ordinis Insignia, prostabant, addito lemmate: HONOR. MAGISTRI. IVSTITIAM. DIRIGIT. &c.

§. III.

Habuit vero & Fata sua hic Grossus. 1.) Ex quo super Tributo Regio aliquoties, præsertim verò sub Ludovico, exortæ sunt lites, (Cromer. l. 13. de Reb. Pol. p. 221.) Poloni quoque propriis nunc abundabant Nummis, Tributum istud de pendendis Pragensibus Grossis sive antiquatum fuit, sive mitigatum. Titulus Statuti, à Jagellone Vladislao R. circa A. Christi 1422. publicati, est: *Communi Moneta vel Pragensi solvantur Contributiones Regia.* Textum Statuti recenset Herburtus de Fultin (in Libro de Statutis Regni Polon. sub Rubrica Monetæ p. 295.) his verbis: *Licet Collectores nostri, per litteras nostras Cracovienses & Sandomirienses, pro Exactionibus nostris, vulgariter Krolestro nuncupatis, in signum subjectionis & veri dominii, nobis solvi ibidem in moneta currenti, & consuetis Grossis Pragensibus, à Kmethonibus receperint, & nostro insiscaverint thesauro; ne tamen hoc valeat, in posterum dictis terris parere aliquod detrimentum, vel juribus earundem derogare, discernimus & edicto perpetuo statuimus, ut amodo dictis in terris, Cracoviensi & Sandomiriensi, nonnisi currens & communis in Regno moneta pro hujuscemodi Exactionibus nostris exigatur. hoc proviso: quodsi aliqui subditi nostri in dictis terris à suis Kmethonibus pro ipsorum censuris Grossos Pragenses receperint, vel recipere voluerint, illi etiam Kmethones ad solvendum nobis similes Grossos Pragenses, pro Exactionibus nostris, per nostras Collectores arceantur. 2.)*

Alibi deinde *fatum* Nummi nostri fuit tale. Quotqvot Grossorum primæva gaudebant bonitate, (quales erant à Wenceslao II. & III. Johanne I. Carolo IV. & ferè à Georgio I. cusi,) ab argentariis lucri faciendi causa ad ignem pleriqve damnati fuerunt; quotqvot verò Lucripetarum istorum evasere avaritiam, (uti ferè fuerunt Grossi à Wenceslao IV. Vladislao II. & Ferdinando I. emissi,) tantopere evilerunt passim, ut recepta inter Silesios aliosqve consuetudine, valore Cæsareis sive argenteis, (Trigrossis,) in Bohemia, Austria, Moravia, Silesia & Comitatu Tirolensi cufis, censerentur æquales. Qui olim sub prioribus Regibus propter argenti puritatem *argenteum*, sub posterioribus *areum*, propter æris accessionem ferè dimidiam, experti sunt *Seculum*.

§. IV.

Coronidis loco subjungimus *Casum* notabilem, qui circa Grossos Pragenses contigit. Besoldo (in Thesauro Pract. n. 68. sub voce *Groschen* / p. m. 362.) referente, aliquando contigit, ut magni nominis Princeps (nescio, quis,) Civitati cuidam libera Præfecturam pro aliquot millenis florenis, in nulla alia, quam Bohemicorum Grossorum, moneta rursus exolvendis oppignoraret. Interea verò, dum in *are* harebat Princeps, ab usu recesserunt grossi. quid hic Debitor? Cum aliud solutionis non suppeteret Consilium, ad Cæsarem Ferdinandum supplex confugiens impetravit, ut in certa quantitate tales Bohemici Grossi recuderentur, ac pro recuperanda Præfectura solverentur. Hucusque Besoldus. Hinc jam divinare licet, undenam curiosæ illæ Ferdinandeorum, qui omnium sunt communissimi, reliquiæ.

S. D. G.



COROL-

COROLLARIA.

I. Theologicum.

Ad Salutem æternam consequendam non sufficit Naturalis Religio.

II. Geographicum.

Judæorum X. Tribus deperditæ non secesserunt in Americam, ut vult Montezin & cum eo R. Men. Ben Israël.

III. Ethicum.

Juris Naturalis Ignorantia excusare potest ratione certarum circumstantiarum.

IV. Politicum.

Politica, à Juris Naturalis Principiis recedens, Pseudopolitica est, non genuina.

V. Curiosum.

Q. Num unquam bellum aliquod Trojanum gestum fuerit? Exercitii gratia cum Dione Chrysost. negabimus.

JUVENI

Erudito atq;ve ad disputandum pronissimo,

SAMVELI KEPHALIDI,

De primis Polonorum Nummis argenteis disputaturo,

FELICITER!

CUr rursus ascendis Cathedram, dilecte Adolescens?
UNGROS testaris Velites esse bonos.

*Amoris testandi gratia
scr.*

PRÆSES.

Gra-

Gratulationes Commilitonum.

Non malè Nummorum Studium defendis, Amice,
Dum Bojos Grossos asseris esse bonos.
Sit labor hic felix, capias hinc commoda multa,
Atque olim à Nummis præmia certa geras!

*Sic gratulabundus sincerum intimi amoris
affectum perquam dilecto Respondenti
testari voluit*

TOBIAS Bockelmann /
Smigla - Polonus.

QValem ex Boëmia pridem Sarmatia Nummum
Attulerit, vigili quæris, Amice, animo.
Applaudo! & Numen calide nunc invoco summum:
Suppeditet Studiis æra parata tuis!


Raptim scr.

AD. FRIDERICUS Schröter /
Landsberga - Neomarchicus.

KEPHALIDES Veterum pergit cognoscere Nummos,
Et credit pulchrum, dicere posse Crisin.
Gratulor hinc coëptis susceptis Præsidi claro.
Omnia procedant, opto, favente DEO!

Honoris & amoris ergo scr.

JOH. GEORGIUS Willebrand /
Stolpa - Pomeranus.



Skanowanie i opracowanie graficzne na CD-ROM :



ul. Krzemowa 1

62-002 Suchy Las

www.digital-center.pl

biuro@digital-center.pl

tel./fax (0-61) 665 82 72

tel./fax (0-61) 665 82 82

Wszelkie prawa producenta i właściciela zastrzeżone.

Kopiowanie, wypożyczenie, oraz publiczne odtwarzanie w całości lub we fragmentach zabronione.

All rights reserved. Unauthorized copying, reproduction, lending, public performance and broadcasting of the whole or fragments prohibited.